

conceptum, quod phænomenon visu iudice occupat, licet quoad rem multis parasangis sit inferius. Scilicet cum visus noster non distinguat inter propius & remotius, igitur quicquid in sublimi conspicit, sive propius adsit sive remotius absit, illud omne superficiei extimi Cœli, tanquam communi receptaculo, inesse & inhærere putat, & proinde punctum extimi Cœli, quod extremitas lineæ visoriæ per centrum phænomeni transeuntis attingit, ipsissimum ejus locum physicum esse arbitratur. Est autem hic locus duplex, *verus & apparens seu visus*. *Locus verus* est punctum in extremitate cœli conceptum, in quod phænomenon oculo in centro terræ constituto incidit. Notatur hic locus lineâ rectâ (radius visorium repræsentante) quæ ex centro terræ per centrum phænomeni in extremum usq; Cœlum porrigitur, ut in Schemate cap. 18. linea A C D vel A H I. Nam A est centrum terræ, B locus observationis in superficie terræ, C vel H vel F phænomenon, D vel I vel G locus verus in extremitate Cœli. *Locus visus vel apparens* est punctum in extremitate Cœli cōceptum, in quod phænomenon oculo in superficie terræ constituto incidere putatur. Notatur similiter lineâ rectâ ex oculo aspicientis per centrum dati sideris ducta, & in extremitatem Cœli continuata, ut linea B C E, vel B H K. Hæc duo τῶν φαινόμενων loca cœlestia, verus nimirum & apparens, quoad rem in extremitate Cœli nunquam coincidunt, nisi quando phænomenon in puncto verticali constituitur, ubi linea visiva loci veri ex centro terræ per phænomeni centrum ducta transit etiam per oculum aspicientis, adeoq; locum apparentem simul monstrat ut B F G. Extra hoc punctum nullibi planè coincidunt hæ lineæ, sed ad semidiametrum telluris inclinatæ dum per centrum phænomeni transeunt sese decussatim interfecant, illâ quæ ex terræ centro educitur sursum, alterâ, quæ ex oculo aspicientis, deorsum magis tendente. Quo fieri solet partim ut, extremitatibus linearum prædictarum in superficie cœli ad diversa puncta directis, locus apparens à vero distinguatur, & ad certam intercapedinem deprimatur, quæ intercapedo mensurata per arcum circuli in Cœlo magni, ut in prædicto schemate per arcum D E, vel I K parallaxeos nomine (ἀπὸ τῆς παραλλάξεως quod est deviare vel in diversa abire) venire solet; partim ut assumptâ semidiametro terræ

A B,